GERMANIA INFERIOR
Sive
BELGICA
HODIERNA.

BELGIUM sive Germania inferior ob incolarum virtutes quondam longe lateque celebratum in septendecim provincias dividitur partim quia Principes totidem titulis insigniti fuerunt, partimq; etiam ob alias rationes; nam in communibus harum provinciarum congregationibus non solebant sub ejusmodi ordine comparere, sed pleræque illarum associabant se aliis communitatibus, Exempli gratia: Ducatus Limburgensis cum suis appendicibus, item Marchionatus sacri Romani imperii Antwerpiensis suffragebantur Brabantia Ducatui, illique tributa pendebant: Zutphaniensis Comitatus quartum Geldriæ membrum constituebat: Econtra Tornacum & tota Tornacensis Provincia, Item *Rÿssel, Dovay & Orchies* (membra sunt & civitates Gallo-Flandriæ) particularia habebant vota & quæque pro sua parte contribuebat: eadem modo factum est cum *Valenciena*, quod tamen Hannoniæ civitas & membrum est. Mutata etsi nonnihil harum provinciarum summa una cum suis partitionibus, nihilominus seriem antiquorum titulorum Principum hodieque adhuc odservatorum breviter prosequemur.

Ducatus in his sunt quatuor, inter quos primus Brabantiæ, Geldriæ, Limburgensis & Lutzenburgensis. Comitatus sunt septem, Flandriæ, Artesiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Zutphaniæ & Namurcum. Tertius in ordine ob eminentiam est Marchionatus Sacri Rom. Imperii Antwerpiensis. Quartum locum Dominia sibi vendicant Frisia, Mechlinia, Trajectum, Transisulania & Groningiū. Hæ provinciæ plerumq; uno vocabulo Germania inferior sive *Nederland* appellantur respectu situs cum sint reliquis regionibus humiliores.

Hispani, Itali & alii populi occidentaliores appellant has Fiandra & incolas *Flandres* (per inordinatum dicendi modum) nempe partem pro toto usurpantes; siquidem Fiandria propre loquendo, una ex his provincia est Flandria dicta.

Terminos habet Inf. Germania à Septentrionibus Oceanum Germanicum; ab Ortu Frisiam Orientalem, Westphaliam, Colonienſem agrum, Juliacensem Ducatum, Trevirensem Episcopatum; à Meridie & Occasu Galliæ regnum. His finibus adhuc, includuntur Cameracensis Archiepiscopatus, Leodiensis Episcopatus cum aliis quibusdam partibus ad Hasce provincias non pertinentibus.

Ambitus Inferioris Germaniæ quintam Italiæ partem excedit, estq; mille circiter milliarium Italicorum, vel trecentarum & quadraginta leucarum Belgicarum. Oppida in ea numerantur ducenta & octo mœnibus cincta, ex quibus maxime celebria, opulenta & potentia sunt Amstelodamū, Middelburgum, Rotterodamum, Lovanium, Antwerpia, Bruxellæ, Sylva-ducensis civitas, Mechliniū, Lutzenburgum, Noviomagum, Gandavum, Brugæ, Tornacum, Insula, Atrebatū, Valenciena, Montes in Hannonia, Dordrechtum, Harlemū, Delfiū, Lugdunum-Batavorum, Gouda, Namurcium, Zutphania, Leovardia, Trajectum, Daventria, Groningia & alia, quæ singula suis locis describemus. Adhæc centum & quinquaginta loca, quæ quod iisdem cum oppidis immunitatibus fruantur, illis annumerari solent. Pagos numerant sexies mille, trecentos & ultra, præter ignobiliores vicos. sunt præterea infinitæ Toparcharum ac Nobilium Dynastiæ ac dominia, civilibus pariter ac criminalibus judiciis donata. Arces & propugnacula plurima passim sunt, vel vetera, vel belli Belgici tempore exstructa, quibus suus cuiq; vel Regio, vel Ordinum Federatorum nomine præficitur Gubernator & præsidiarius miles.

Si formam situmque provinciarum omnium spectes, non inconcinne *Leoni* comparaveris, quam ob causam in quibusdam tabulis Geographicis sub imagine picti Leonis exhiberi solent, allusione non inconcinna, cum pleræque hæ provinciæ, earumque insigniores urbes Leones diversi coloris insignibus suis repræsentent; quæ quidem insignia, tunc sibi vendicasse dicuntur, cum sub famosissimo Duce Godefrido Bullionæo Europæi Principes in Orientem adversus Mahometistas exercitus mitterent. Forma autem Leonis Belgici ita se habet, ut caput constituant Groninga, Frisia Occidentalis & Transisalania, collum mare internum, quod *de Zuyderzee* vocant & Trajectensis provincia; pectus referat Gallia, dorsum omne, littora Hollandiæ, Zelandiæ, Flandriæ, Grevelingam usque: pes anterior dexter Limburgum & Valckenburgum habet, sinister Lucenburgum: Venter Brabantiam, Mechli-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [10] - -
PUBLIC DOMAIN